



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De contemptu vanæ gloriæ. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## C A P V T I I.

*De contemptu vanae glorie.*

**I** 1. **R**erum mundi facies indicat, quod mundus amari non debet. Cum enim tam facile se variat, profecto corruptibile se demonstrat. Nulli fidem firmam seruat; sed modicum in apparentia blanditur, & in fine decipit & illudit. Non ergo pulchritudines hominum, non diuitiae rerum, non laudes adulantium, non fauores potentium, te moueant & delectent; quia vana sunt & mortisera, quæcumque à summo bono retrahunt, & ad infima cogitatum inclinant. Oranis quippe caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.

Isaia 40.

Laudari ac  
laudare ne  
vanè con-  
cupiscas.

z. Cor. 10.

2. Ignotus humanas laudes non affectes, nec vanè aliquem extollas: nescis enim, quid futura pariat dies. Sapere nouissimi sunt primi, & primi nouissimi. Fuge laudari tanquam venenum, ne seducaris, & perdas boni operis meritum. Vanis sunt & stulti, qui laudibus delectantur humanis. Laudetur Deus, non homo fragilis. Sapiens plus facta ponderat, quam verba. Res bene gesta seipsum laudat. Qui verba tantum sectatur, nihil inueniet. Virtus in Deo facta, a Deo gloriam recipiet. Si ponis vitam tuam in ore hominum, eris modo aliquid, modo nihil, nunquam tamen liber & quietus. Iustus non verbis mouetur ornatis; sed quod Deo placet, attendit.

3. Sapere homines laudant, quod improbat Deus, multoties Deus acceptat, quod homines vituperant & spernunt. Ille ergo dignè laudatur, quem Deus omnia sciens commendat. Ille adiutus est & valet, quem adiuuat Deus. Ametur veritas, non hominum loquacitas, qui sepe præ odio vel amore mouentur, nescientes quid sit in homine velatum. Redi ergo ad conscientiam tuam, ubi veritas videt; & seito te infirmum esse, & peccatorem, atque citio moriturum. Siquidem in mortis articulo patebit, quam fallax fuit omnis gratia mundi: quam stulta letitia, laus ab hominibus quesita.

## C A P V T I I I.

*De fidei & veraci amico.*

**A** 1. **M**icus tuus est, qui in Deo te amat, & propter Deum te tolerat. Verè ille amicus tibi est, qui salutem animæ tuæ diligit, non qui foris blanditur & applaudit. Ille tibi dilectus est, qui pro malis tuis dolet & orat: qui profectui tuo congaudet, & te corripit in charitate. Non est fidus amicus nisi in Deo; & qui sua non querit. Qui enim seipsum negligit, quid alteri persuadere poterit? Cum tua bene curaueris, facile proximo persuaderis.

m.

